

Q. B. V.  
EXERCITII ACADEMICI  
De

DENARIO  
SANCT-PETRINO,

Ejusque in SVETHIA præcipuis FATIS,  
PARTICULA TERTIA;

Quam,  
*Consensu ampliss. Colleg. Philosoph. in Regia  
ad AURAM Academia,*

PRÆSIDE

*Viro Cl.*

MAG. ALGOTHO A.  
SCARIN,

Hist. & Phil. Civil. PROFESS. Reg. & Ord.

RECTORE. h. t. Magnif. &

PRO GRADU MAGISTERII examinandam sistis

OLAVUS ER. HUSS

JEMTIUS.

Ad d 26. Julii, Anni MDCCXL.

loco horisque consuetis

---

ABOË, exc. Joh. Kiempe, Reg. Acad. Typ.

S:æ R:æ M:tis

MAGNÆ FIDEI VIRO,

Reverendissimo PATRI ac DOMINO,

Dn. NICOLAO STERNEL,

S. S. Theol. DOCTORI celeberrimo, Norlandiarum  
occidentalium SUPERINTENDENTI eminentissimo, Con-  
sistorii Hernösandensis PRÆSIDI gravissimo, Gymna-  
sii, Scholarumque EPHORO adcuratissimo,  
MÆCENATI MAXIMO.

**Q**uod specim. ni juvenilis ingenii huic NOMEN TUUM,  
reverendissime PATER, præstere ausus fuerim, ma-  
gnâ videri potest audacia. Verum cum sit illud usu rece-  
ptum omnibus, qui in republicâ literaria eniti & emergere cu-  
piunt, ut à summorum, eorundemque in orbi luce positorum  
Virorum nominibus splendorem sibi curisque suis mutuari so-  
leant; in illorum mores transire, à presenti instituto mihi ne-  
que alienum visum fuit. imprimis cum viderem ante me  
neminem spe sua dejectum, qui ad TUAM gratiam, indulgen-  
tiamque aditum moliri non addubitaverit. Tanto vero pi-  
etati & fiducia penes TE mee veniam magis promptam spero  
facilemque, quanto REVERENDISSIME PATER, in omnes bo-  
nos, præsertim vero literarum cultores, luculentior nun-  
quam non effusis comitas & benignitas TUA: cuius utriusq;  
partis magnitudinem quamvis cogitatione assequi nullus possim;  
observantia mee tamen hoc qualecunque testimonium è stare  
volui, pietatisque non aliud magis, quam hoc ipsum boni-  
tati TUAE monumentum consecrare. Interim ut in seram a-  
tatem & nepotibus etiam numerandam annorum seriem, pe-  
renni felicitate vivas, floreas, cælum supplicibus votis  
venerabor

REVERENDISSIM. DIGNIT. TUÆ

Cultor & cliens devotissimus  
Olavus Er. Huss



S:æ R:æ M:is  
MAGNÆ FIDEI VIRO,

Generosissimo atque nobilissimo DOMINO,

Dn. ANDRÆ von DRAKE,

Arcis urbisque regni Sveo Gothici principis PROPRI-  
TORI dignissimo,  
MÆCENATI MAXIMO,

Quoties recordationem meam mentemque subeunt (subeunt  
autem quam sapissime) merita & beneficia, que  
domui nostræ aliis atque aliis temporibus affulgere voluisti;  
MÆCENAS MAXIMS, toties fulgore illorum in tantum perstrin-  
gor, ut que per se illustria sunt, silentio involvere potius,  
quam inapitate verborum, ceu tenebris, offundere satius duxe-  
rim. Verum sit licet dati & accepti utrinque tam dispar ra-  
tio, confido tamen, audacie, qua splendidissimo NOMINI  
TUO tentamen juvenile meum consecrare sustineo, veniam  
TEMET non difficulter concessurum, ubi aliorum de-  
fectu moderum, hanc unicum referende gratiæ rationem in-  
gredi iussisse videris pietatem: expressisse vero humanitatem  
TUAM, cuius circumfundi fulgore & in tenebris suis collucere o-  
portant pagellæ hæc, per se obscure, & si quæ alia, gracili filo contextæ.  
Tui modo, GENEROSISSIME DOMINE, serena fronte excipe levi-  
dente munusculum, argumenti iucunditate solum commendabile,  
meque in eandem clientela spem suscipe, in quam ante me  
omnes eodem celo soloq; TECUM genitos, admisisti, imo ad  
sinum Tuum complexumque pertinere voluisti. Ego vero SUM-  
MUM NIMEN nunquam non venerabor, dignetur vires,  
TIBI, MÆCENAS MAXIME, majores majoresque sufficere, ut  
justitiæ iurandæ, pariterque Generosæ FAMILIÆ TUÆ  
ornande in seram ætatem sufficiant. Ita assidue precabitur  
GENEROSISSIMI NOMINIS TUI

Cultor & Clientis devotissimus,  
Olavus Er. Husl.



*Admodum rever. atque praeclarissimis VIRIS*  
**DOMINIS MAGISTRIS,**  
Regii Gymnasii Hernösandensis **LECTORIBUS** dexter-  
riis. **CONFIST. ADSESSORIBUS** gravissimis,  
**PROMOTORIBUS** multis nominibus colendis,

*Admodum rever. atque praeclarissimo VIRO,*  
Dn. Mag. **OLAVO TURDIN,**  
Ecclesiae, quae Christo in Nordmaling Angermannorum colligitur, **PASTORI** optime merito, ut antehac studiorum meorum moderatori praecipuo, sic pietatis zelo perenni, aetatem suspiciendo.

*Admodum rever. atque praeclarissimo VIRO,*  
Dn. Mag. **OLAVO KENZELIO,**  
**PASTORI** in Nordingerå/ Båbyggeråb & Ulånger Angermannorum, meritissimo, ut consanguineo honoratissimo, ita Promotori certissimo.

*Nobili atque strenuissimo VIRO,*  
Dn. **JOANNI NORDBORG,**  
**S:æ R:æ M:tis à CUSTODIA CORPORIS** per industrio,  
nec non **VEXILLIFERO** maxime strenuo, **Fautori**  
& amico honoratissimo.

**H**As incubationes in reuincior gratissimi animi Vobis vestrisque honoratissimis nominibus humillime offero, & qua par est modestia rogo levidenseni hunc ingenitum ferens fronte intusamini, eundemque non tam suo pretio, quam offerentis devoto animo metiamini! Ego vero ad cineres usque ero

**Nominum Vestrorum**

**Cultor observantissimus**  
**Olavus Er. Huss.**

*Amplissimo atque spectatissimo VIRO,*  
Dn. ERICO TOUSCHER.

Officin. Ferrar. ad Leuffstad, Strömsberg, Forsmarck,  
Ulfors, Vesland, Carlholm, Hillebola, Åkerby &  
Toboborg &c. DIRECTORI maxime industrio, constanti-  
gvineo exoptatissimo, benefactori honoratissimo,

**T**UA, CONSANGVINEE honoratissime, in me & necessitudines meas tanta sunt beneficia, tantaque in nobis juvandis constantia eluxit, ut digne à me celebrari nequeant. Veneror interea pietate, qua conveniens est, beneficentia TUAM avaram lenem, eandemq; longo terrarum tractu remotam licet, mihi meisque tamen ad bene sperandum, egregie adspirentem. TU necessitudine nostra nil alienum fecisti; TU non exiguam acerbioris fortune partem mihi sublatam ivisti. Quare submissas preces admoveo, digneris hoc, quod offero, exile & exiguum munusculum ea fronte excipere, qua offerentem antea excepisti benignissime. Mibi, cum præter voces & verba remuneranda liberalitatis TUA ratio non suppetat luculentior aliqua, ad DEUM supplici mente manique confugio, rogans, ut gratiarum & felicitatis genere omni merita & beneficia TUA compensare velit. Præbet idem supremus humanarum rerum arbiter, ut TU ipse TUlque diutissime vigeatis atque floreatis, Ego dum vixero manebo

TUI AMPLISS. NOMINIS

Obstrictissimus cultor

Olavus Er. Hult.



*Plurimum rever. atque clarissimo VIRO,*  
Dn. NICOLAO SUNDIO  
Ecclesie S. Nicolai, quæ Holmiæ est. ARCHIDIACO,  
NO laudatissimo, Patri loco suspiciendo.

*Plurimum rever. atque praeclarissimo VIRO*  
Dn. Mag. JOHANNI LAURENT. HUSS  
Prætorianæ peditum militiæ PASTORI extraordinario,  
contanguineo svavissimo.

*Plurimum rever. atque praeclarissimo VIRO,*  
Dn. Mag. HAQVINO DRAKE  
Gregis, qui in Sveg / Ellherisdahl / Elfros &  
Sfverhogdal Herdolorum colligitur, *STAMMISTÆ*  
vigilantissimo, contanguineo dilectissimo.

*Speculata fidei & integritatis VIRO*  
Dn. OLAVO WESTMAN  
Territorio Angermanniæ, à rationibus adcuratissimo,  
affinitatis vinculo conjunctissimo.

**D**issertationem hanc Gradualement, in debita observantia,  
& grati animi pignus dat, dicat, dedicat.

NOMIN, VESTR.

*Cultor observantissimus*


Olavus Er. Huss.

Wälmene yttran til Herr. Kandidaten,

Höglärde

OLOF HUSS,

Så han/ pro Gradu Magisterii, i Kongl. Åbo. Aca-  
demie berömmel. disputerade.

 Et were! / som / I mitt wän / nu sänad är / för-  
swar: /

Ä tåga lägger klart: först Wäfnens girighet /  
Sed'n wäshet / I förwärfst med slit / sköne torftrigbet  
Nog wägrat Er / at sä / bland Lärda män ock wara.  
Af himlen har fördr / jag welat Er tildönka /  
En sådan frang / hwars blad i snullebragder gror:  
En som det tückes Gud / jag tilförlätligt tror /  
Ut I til slutet fän / som Lagren städse grönka.  
För öfriet gifwe Gud / Er selfbegärligt nöje  
At I af motgång ej / ell' swärhet weta mä:  
Dock skulle annat ste han täncte Er då på /  
Dch til Ehr sidsta stund / med hielpen ej fördröje.  
Dch ändtlig när I sku med tiden hädan wandra /  
Til ewigheten / der oss gifs det rätta hem /  
Så unne Herren Gud Er läte ibland them /  
Hwars lefnad sådan är / at ingen then kan kändra.

GUSTAF LEIJONMARCK.



Clarissima Philosophiae Candidato,  
Dn. OLAVO HUSS,

**H**elvetios laudet Florus, quod robore belli  
Claruerint, ornetque graes interrita virtus.  
Illustris Tacitus Germanos tollat ad astra  
Laudibus, audaces animis & pectore fortes,  
Et Marti sutos & non formidine fractos,  
Audiat & terror populorum Gallica turma,  
Quam non fama levis celebret, faciantque perennem  
Et decus armorum constans validique triumpho.  
Magna aliis populis tribuantur nomina honorum,  
Quod poterint praecipue caput objectare periculis,  
Et quod praestiterint invicto robore Achillem,  
Ajacem, Danaos, Fabios, Mariosque Camillos,  
Hectora & Hannibalem Pompejos atque Metellos,  
Praecipuas tamen hic sibi vindicat Suetbia partes,  
Atque inter primos merito sibi sumit honorem.  
Hinc variis titulis decorant nostrosque salutant  
Saeclam Bellonae sobolem, tum Fulmina Martis.  
Ante igitur vesper seras contingeret undas  
Hesperias, coelique orientia signa micarent,  
Horum quam posset quisquam bene facta referre,  
Et simul intraret nocturna cubilia Titan,  
Quam quisquam posset cuncta haec perstringere versa.  
Laude & promerita nomen celebrare per aevum.  
Ergo dum rumpis nostrae in penetralia gentis  
Sedulus, & lustras ejus monumenta vetusta,  
Praemia magna tibi HUSSE dabit modo Svecus Apollo  
Atque brevis cinget lauri tua tempora sero.

Amice gratulatur  
JACOB ABRAH. ALANUS,





§. I.

**Q**Vâ pietatis solertiâ *DENARIUS Sancti PETRI*, sicut in ceteris partibus Christiani orbis, ita arctoo hoc quoque innotescere primum, mox sensim & sine sensu invalescere cœperit, jam ante dictum fuit. Nostri officii erit quæ de cetero *census* illius in nostra gente fata fuerint, brevibus enarrare. Quo vero astu factuque hominum oculos aliis regnis atque regionibus præstrinxerat, mox *OLAVO Stottkonungio* regi tenebras offuderat *Romana Siren*, iisdem minus difficulter vestigalem sibi reddere potuisse *civium* penes nosmet simplicitatem, quis non crederet? Ast cecidit res multo aliter. Neque enim verbis phaleratis, quibus privatim *regem* traxerant papicolæ, *cives* in comitiis *eorum* quoque ludificare potuerunt. Non renuisse populum *Svercanum*, quo minus prædicatores verbi Divini, si casti essent atque idonei, interesse possent comitiis eorum, imo de *CHRISTO* & religione Christianâ plebem non invitam audivisse, testatur *ADAMUS*. Verum ambitum & avaritiam ministrorum horum, cum sua quærent, mirum in modum scandalizasse eos, qui alias sal-

A

vari



vari potuissent, idem neque diffidetur historicus, cuius testimonio tanto plus ponderis inesse credendum, quanto *Canonicus* ipse *Bremensis* erat & adfessor Consistorii illius, cuius imperio ecclesie arctoæ tanta & negotia ævi illius dispensabantur. Scilicet paganismo durante, illa obtinuit ratio sacrorum, ut reges ipsi victimas & quæ cetera sacris celebrandis necessaria essent, suppeditarent; vulgus civium autem præter *nummum Otbinianum* quantilli precii, de cetero nil solveret iis, qui sacra curarent. Ast Christiana religione admissa, cum rituum numerosum genus non amplius suorum sumptuum esse vellet reges, sed *civium*, hosque sacrificiorum gentilium & una quoque Christianorum expilationi objicerent, qui quæso! fieri aliter potuit, quam ut compunctione non unius mali, dolore afficerentur, & indignitate rei arma quaterere inciperent cives, ita ut à seditione res prope abesset. Qui jam ante idololatrici cultus interpretes erant, ne ventris piæ causæ suæ quidquam decederet, in comitiis egere, & cum gentilis esset adhuc maxima pars populi, neque difficulter obtinuerunt. Eodem tempore cum sacerdotes Christiani ad suos canones omnia referri vellent, ab *eisdem* *baptismus*, *confirmatio*, *altarium benedictio*, *infirmorum visitatio* & demum *martuorum sepultura*, una cum ceteris Christianismi officiis, care omnia redimenda essent, ad fastidium religionis pariterque detractionem obsequii civilis, plebem prolapsam fuisse, nemo mirabitur. cui quamdiu imperan-



perantur consveta, humiliter servit; ast cum in-  
gratis modis se spoliari cernit, in seditiones & tur-  
bas facillime moveri sivevit. Populi Israëlitiçi fu-  
ror in *Adoramum* filci procuratorem plus satis acer-  
bum ad necem usque exlævit, cum indictiones &  
superindictiones civitati imponeret. *ASPETHIS*, cum  
gentilium sacrificuli possessorium suæ religionis ur-  
gerent, suaque ad quæstum comparara sacra non  
minori ambitu obruderent Christiani, quid factum?  
Ne in nervum publicæ, tum quoque privatæ rei  
vis mali ista erumperet, horum alios virgis cælos  
regione sua expulerunt, alios cum fumos & um-  
bras suas care nimis venderent, ad umbras ante  
diem transmiserunt.

§ II.

**T**anto pretio non numariæ rei solum sed & li-  
bertatis veniebant *actiones sacrae* apud illos  
minorum gentium vates. Pontifex ipse cum vide-  
ret *laterum* multiplicatione, id est multiplici exacti-  
one onerum, ad impatientiam & una cum servi-  
tute, ad religionis odium fugamque civitatem facile  
adductum iri, puta si fulmina & flagella sua insimul  
pro confectioe *census Petri* ipse distringeret; igi-  
tur tempori serviens, non statim trabeato, id est  
coactivo jure ad illius Deæ suæ, puta Lavernæ  
cultum, civitatem adegit. Verum minutis passibus  
incedens, quibus copia esset, quantum vellent, ab  
initio conferre permittit; quibus pretium in prom-  
tu nullum esset, quod sibi suæque clientelæ per-

4  
solverent, iisdem si non remitteret penitus, tempus solutionis prorogavit saltem, magnariorum more creditorum, qui ubi plus se nundinari præmiari- que posse vident, ad tempus indulgentiam face- re solent debitoribus creditæ sortis suæ; quam cum scenore grandi in gazam suam redituram dubitare non potuit pontifex, quamdiu eorum, qui cum potestate regno præsiderent, fidem nutui suo, re- nutuique obnoxiam haberet. In illam formam pontifex sua sibi retia ad capturam laxavit. Illa viâ transitum sibi paravit ad imperium in conscientias pariterque facultates Laicorum; factumque ut ne- que longo post tempore omen impleretur. *Principio* nutui concessit primum *potentiorum* civium vanitas, in aulæ ministeria venalis: Concessere auctoritati eorum inde ipsi *plebeji* demum, nervis alienis ad malignam effusionem perinde atque attentionem quantillæ rei suæ non difficulter mobiles. Quandoquidē enim non impetu se infunderet vis mali, inde ad parvos sumtus neque attendebant. Consuetudinē, cum nemo resisteret, liberaliter admiserunt, admissamque in debitum de- mum migrare permiserunt. prout de status ratio- ne ista subjiciendi omnem terram sub *thesauro ec- clesiae*, in antecedentibus quoque nonnulla monui- mus.

§. III.

**A**D illum modum postquam regnum *commissum* pontifici censuale factum fuisset, excutiendum venit:



5

venit: Reges ipsi ne & totum regnum ad certam pecuniam censitum fuerit, an vero familiae, quoad capita singula sua, pensionem annuam istam praestiterint? Videri primo intuitu potest, quod fuerit! Apostolicae clientelae beneficium illud, stata aëris summa quotannis redimendum. Qui pridem urbis & orbis domini fuissent, praecipue vero *Monarcha AUGUSTUS* suo aëvo per collegia & conventus, non per capita singula praecise, census fieri praecipuisse constat. *Hieromonarcham* seqvioris aevi (a) eadem servata taxandi ratione Romana, ab iis, qui in illius aëre essent, protectionis pretium non per focos, plebejorum more parochorū, quorum modo mentionem fecimus, sed ab universitate efflagitasse, credibile videri possit: tanto magis, quanto de regibus (\*) praesertim vero *MAGNO Smet* constat, quod Pontifici suo nomine solvendum receperit centum, quem devoti & fideles reges haëtenus exsolvisent (b) ne quid de primis regibus Christianis dicam, qui cum servos *JESU CHRISI, Adamo* teste, muneribus coluerint, omni procul dubio *servi servorum* spoliarium quoq; deargentasse praesummun-

(a) Boehmer. Jus Eccl. protestant. I.

(\*) *Ad illum modum* Demetrius Croatiae &c. Dalmatiaeq; princeps apud Baronium sponte recepisse perhibetur ducentorum Byzantiorum tributum, quos per singulos annos in resurrectione DOM. de regno sibi concesso, ipse solveret; anal. XI. pag. 488. (b) Vastov. vit. aq. ed. Col. p. 196.



muntur. Sed cum quæ reges gazophylacio romano, clientelæ nomine inferrent, ex propriis aulæ redditibus appenderent (e): Quin, tabulæ centus hujus annuatim subductæ non statim æris, verum pro diverfirate temporum, largiter aut parcius numerati illius mentionem faciant, pariterque aliorum exemplo regnorum plus satis constet, quod civium pro se quisque tesseram fidelitatis eandem exsolverit, quemadmodum jam ante dictum fuit: per capita singula penes nos etiam censum hunc institutum fuisse, qui amplius dubitare potui? Explicat nodum penitus eundem INNOCENTII papæ III. bulla ad dicecesin Upsalensem jam ante citata, qua non regi aut clero, sed constitutis in illa nobilibus viris, baronibus, militibus & aliis gratias agit, quod debitum sanctæ sedi censum liberaliter & devotè solverint. Loquitur in eandem sententiam, quod ad Svethiam, AUGUSTINI STEUCHIUS etiam in libro, quem de de donatione CONSTANTINI scripsit, omnesque domos Svethiæ censum Apostolicæ sedis, singulos denarios numeravisse tradit, eam quam narrationem licet BANCHIUS in suo de Pontificis tyrannide jam ante citato libro, convellere annitatur, in analibus Svethiæ ne apicem quidem inveniri asserens, qui asserti illius indubiam fidem præstet, Steucho tamen, qui in excutiendis scriniis & bullis pontificum, non parum olei & operæ consumsit,

in

(e) vid. part. prim. disquisitionis hujus pag. 20.



in præfenti negotio plus fidei tribuendum, quam indigenæ apud exteros degenti, qui de antiquitatibus patriæ ecclesiasticis, suo præfertim ævo, nihil explorati resciscere potuit. Pollicem *Stencho MESSENIUS* accuratissimus conditor patriæ historiæ præbet, cum quæ ceterorum regnorum esset ratio colligendi Denarii Romani, eandem penes nos quoque obtinuisse, & per universas regni ditiones hominem trium marcarum, præter vestes & arma, possessorem quemlibet, unum quovis anno contribuuisse nummum affirmat (d).

§. IV.

**N**ullum hominum genus omissum fuisse, cui non obolum (a) utualem pontifex extorsit, modo audivimus. Ne verò exuberans lucrum, publico aut privato Laicorum compendio, sibi periret, filii curatores ex sua familia, veterum more Romanorum, per singula regna dispositos habebat. In *Anglia* quæstores & publicanos suos habuisse, qui censum colligerent & Romam transmitterent, *POLLIDORUS VERGILIUS* auctor est, qui in sua gente ministerium illud ultimus obivit. (b) In *SPETHIA* census ejusdem collectores ab initio fuere Episcopi in sua diocesi quisque, quod ex litteris *ANASTASII papæ* ad *SVERCHERUM* seniorem regem non obscure patet, in quibus, præmissa commendatione ten-

(d) Scordix Illustr, XII. pag. 41.

(a) Baronii Annal. Tom. XI. p. 147.

(b) Heidegger bistor. pap. §. 209.

nerrimâ subjectionis, fidei & in devotionis opere immobilis persistentiæ, ad finem pia adhortatio subjungitur, ut censum, quem in argumentum devotionis beato PETRO solvendum statuissent fideles regni, eundem rite tribui facerent *episcopis fratribus*; ut per eos sedi apostolicæ transmitteretur, Bullam hanc (c) omnium, quæ supersunt, & de collectione tributi hujus in nostra gente præcipiunt, primam & antiquissimam esse opinari licebit; vi & auctoritate cujus OERNHIELM inde putat collectores census hujus per subsequenta secula, perpetuò egisse episcopos, idque in sua diocesi quemlibet; neque rationem colligendi æris, donec corrueret regnum papisticum, diversam aliquam in patria obtinuisse. Imprimis vero MESSENIUM obelo notat, quod voluerit ille *Arosiensis* episcopos solos, saltem ordinarios fuisse cameræ apostolicæ thesaurarios, qui censum ex hoc regno corrasum, cum rationibus Romam transmitterent. Est illa OERNHIELMI censura. Sed si bullas & autographa monumenta ab OERNHIELMIO citata, quorum ex archivo antiquitatis, Secretarius regius nobiliss. Dn. HELINUS exempla nobis transmisit, oculis ipsi nostris obire voluerimus, apertissime, puto, constabit, pro temporum ratione, nec non papistici regni in civitate habitu diverso, æris & tributi colligendi hujus, diversam quoque rationem extitisse. Id ex citatis modo literis colligere possumus, non repente &

(c) Oernhielms *hystor. eccles. IV. 3. §. 194. &c.*



& in modum debiti adhuc, sed ceu oblationem gratuitam, lentis auctibus irrepsisse præstationem hanc; idque in modum nubium, quæ pedetentim à vaporibus sine sensu condensari solent. Quod vero episcopi æquali potestate obligationeq; (f) idque perpetuo operam dederint collectioni reddituum Romanæ sedis, id ex verbis citatis quæ exculpi queat, nondum videre possum. Repugnat praxis cogendi census & monetæ illius, ceteris regnis recepta. (\*) Erant illo tempore bellatores tacti episcopi, (\*\*) qui jurisdictione baculi plus satis districti in adiutorium Sacerdotis peragendi vicarios habuerunt: qui cortes, mansos, prædia, comitatus, ducatus & cetera sui filci bona, nisi per advocatos sibi obnoxios procurare non potuerunt, adeo ut credibile non sit aliene opulentia dispendatores promiscue egisse.

B

qui

(f) Negotium colligendi census, episcoporum cuilibet per suam diocesim datam fuisse non uego: sed Arosiensi episcopo suprema potestate sua salva semper & incolumi. Ceterorum erat aris, à se collecti rationem ipsi reddere; cum meminisse Pontifici, ipse immediate substaret.

(\*) confer que de Anglia, & in illa constituto thesaurario pontificis unico jam modo monuimus.

(\*\*) Orntielmum ex Meursio confer sis IV. 1. 21. & videbis in veteri ecclesia impietatis summo loco habitum fuisse belligerandi negotium clericis committere, & qui mandata, si quae fuerint talia. exequerentur, quam mandantes, gravius multo peccare iudicatos fuisse.

qui curandis ipsi suis redivitibus ægre sufficerent: Quamdiu fortunarum inopes essent episcopi, & *PETRI* tributum rarius, idque non nisi ab opulentioribus devotis penderetur, filci Romani procuratio universonum esse potuit; progrediente tempore vero, cum ingens & opima alluvio secularium in ecclesiæ ærarium passim & ubique semet infunderet, ne *aliorum* socordia episcoporum, muneri quam papæ magis deditorum, *aliorum*, magis suæ quam alienæ opulentæ intentorum avaritia, qui Romam venire deberent, lucri odores, longioris circuitu viæ, interciperentur, ex dilectis filiis, qui camera Pontificiæ computo præsideret, unum delegisse, etiam licet alia ad manus nulla essent tabularum documenta, dubio omni procul positum videtur. Fuit illa veteris ævi consuetudo, ut lucrum pudendarum sordium per constitutos publice certos proceres & exercitores in sacrum ærarium colligeretur (g) Qui res suas in totum fere composuit ad morem pristini imperii, Romanus pontifex, in iis, quæ ad quæstum pietatis pertinerent, non facile immutasse aliqua, annalium fides ipsa nosmet non sinit dubitare, Non negamus ab exteris *Nuncios* identidem, (b) idque extra ordinem

(g) Lipsii *antiquitt. Lib. II. pag. m. 167.*

(b) Peringskiöldius *monument. Vpland. II. p. 149.*  
*Guidonis cujusdam meminist, nuncios apostolici puta, ad conficiendum Petri Denarium anno MCCCCLXIII peregre adventantis. Johannis Heytmeri Leonis X. ad exigendum S. Petri ca-*



11  
dinem collectioni census hujus præpositos fuisse; imo  
indigenas alios atque alios etiam, nominatim Vpsa-  
lientis ecclesiæ Canonicum NICOLAUM SIGVASTI, quem  
anno MCCCXX. auctoritate apostolica, nec non  
GISBERTI episcopi & camerarii Romani, in collecto-  
rem census Petrini deputatum fuisse constat. (i)  
Item de Sancto NICOLAO Lincopensium episcopo  
legimus, quod seculo vergente eodem quarumlibet  
quantitatum seu summarum pecuniarum Camera  
Apostolicæ per regnum Svethiæ quomodocunque & per  
quoscunque & in quibuscunque debitarum collector speciali-  
liter deputatus fuerit. (k) Verum vacante Arosiensi  
episcopâ, aut alio quocunque calu urgente, munus  
thesaurarii per Svethiam illud obivisse Canonicum, ob-  
ivisse episcopum, ceterosque verosimile videtur. (l)

B 2

Sed

ghedaticum commissarii parte 11. p. 50. mentionem injeci-  
mus.

(i) Apographum diplomatis, quo à Gilberto sive Gal-  
berto Massiliensi episcopo Dn. papæ camerario potestas datur  
Nicolao Sigvasti census Romæ per regnum Svethiæ colligendi,  
beneficio Secretarii regii jam ante laudati D. HELINI, integrum  
possideo. Nobis brevitatis studiosis impræsentiarum allegasse suf-  
ficiat. De illo vero Sigvasti Nicolao Calmariensi conferre  
juvat Peringkiöldium in monum. Vpl. 11, p. 236. &  
Benzel. monum. Eccl. p. 45.

(k) Nettelblads bibliotek; Sveth. III. pag. 234. seq.

(l) Cur NICOLAO Lincopensi præ Arosiensi episcopo  
partes colligendi thesauri extraordinariæ datæ fuerint hoc

Sed quæ ex certo casu facta constitutio extraordinaria plane non derogat titulo & præscriptioni diutinae Arosiensis episcopi, quo minus provinciam muneri añexam, idoneus, aut de novo constitutus ille, suo supremo jure iterum iterumque repeteret. Erat is in Syethia sedes Apostolicæ commissarius cum successoribus universis. Erat nuncius & legatus pontificis ordinarius, fructuum proventuum, reddituumque, cameræ Apostolicæ heic loci competentium collector constitutus, quem indigenarum nemo, sed solus archidiaconus Romanus ecclesiæ illius antistitem, eundemque non nisi artibus & partibus suis suis additio-

tempore, causam, aut si magis conjecturam hanc habe. Fit in pontificiis literis ad ALBERTUM regem ( Vastov. vit. aquil. ed. Colon. pag. ult. ) mentio prælatorum regni, quorum inductione rex non permetteret collectoribus censu Pontific. recipere proventus & fructus Cameræ apostolicæ debitos. Inter istos præfules, cum præter RUDOLPHUM Scarensem consanguineum regis, Arosiensis etiam, quam pro ratione statas & avi illius ( etiam metu temporum forte ) regi addidior esse posset, quid mirum Pontificem substituisse sisco suo præfidentem strenuè magis devotum sibi que devinctum? Nicolaum puta, de quo constat, quod excommunicationis fulmen, sine dubio intercepti eris hujus nomine quoque in Albertum regem distinxerit. Ad heros atque divos ecclesiæ suæ aditum Episcopo aperuisse cœli clavigerum annales ipsi referunt. Quo verò merito, & an non prostituta regis majestatis nomine solo, triumphæ honorem illum meruerit,



tiorem nominavit. (m) In illo regni umbilico con-  
 stitutum erat alvearium, quorsum mellificia dirige-  
 bantur annua ceterorum episcoporum. Ex illo fun-  
 do sinceri mellis vindemiam multam per annos plus  
 minus quingentos fecit curia Romana. Fundi vero  
 curatorem illius primum egisse legimus *PETRUM* de  
*Samsöd* episcopum, medium currente seculo XII.  
 Illum, *CAROLO Svercheride* rege, Arosiæ sedisse & se-  
 culo currente eodem, puta duodecimo, filii Romani  
 procuratorem egisse, iussu bullæ pontificiæ, quæ  
 colligendi denarii auctoritatem confert episcopo, pro-  
 bare annitur *MESSENIUS*. Cum *JOHANNES Svercheo*  
*rides* rex esset, neque alium, quam episcopum *Arosi-*  
*ensem* supremo jure æris hujus collectorem egisse,  
*HONORII* bulla ad universos Svethiæ fideles per-  
 scripta testis est, ubi quæ per literas sibi intimasset venerabi-  
 lis frater episcopus *Arosiensis*, iisdem exponit, cum ex-  
 probatione adjecta, quod censum Rom. à quinquennio &  
 amplius, licet ab episcopo sæpius requisiti fuerint, in ani-  
 marum suarum periculum tamen solverere omnino neglexe-  
 rint. (n) Post duo secula *JOHANNES XIII.* papa se-  
 dente

nostrum non est decernere. Interim conferrè, cui volupe fu-  
 erit, possunt, quæ de ætate *Arosiens. Episcopi MAGNI Knops*  
*in archiep. b. m. Spegelii histor ecclesiasticâ* 11. pag. 350 seq.  
 itemque patriæ juvandæ zelo illius, reverendiss. *Benzelio*  
*in monum. eccl. pag. 174. memorantur.*

(m) *Messen. Scand. 11. pag. 7. XII. pag. 125. XV. p. 41-*

(n) *ex Archivo antiquitt. Collegii.*

dente, neque aliam colligendi æris illius, quam A. roliensis episcopi supremam auctoritatem obtinuisse, literæ ad *PETRUM*, qui titulo & nomine eodem cum priore, illo tempore sedebat, testantur. quæ, quod *circumspectâ probitate fulgere præsumeretur, & à pontifice commissa salubri studio exequeretur*, nuncium apostolicum in regno Svethiæ, pariterque decimarum & quorumcunque censuum cameræ apostolicæ debitorum & debendorum collectorem, receptoremque constitutum voluere: collectoribus & succollectoribus, qui præter hunc præsulem, ante deputati fuissent, revocatis & exautoratis. Bullam nisi prolixior esset integram libenter exhiberem, inprimis postquam copiam mihi illius, una cum ceteris ex archivo bullis facere non gravatus sit cum honore mihi semper nominandus nobiliss. *HELINUS*. Verum cum contineat illa heterogenea multa, verbis & sententiis usq; adeo contortuplicata etiam, ut nexus sine fine illius ægre quisquam expedire queat; quæ in rem nostram dicenda essent, breviter & strictim recensuisse sufficiat. Piger plures adducere velites propugnandæ veritatis illius. Ne vero in percentenda veterum memoria, vivorum modo fidem sequi velle videamur, en locupletissimæ fidei triarium, qui sensum mortalitatis pridem exivit, *PERINGSKIOELDIUM* in rem & sententiam eandem audiamus. Is in monumentis Vplandicis, ubi recensum facit archiepiscopop. Vplaliensium, cetera inter merita sedi Romanæ



næ officiosissimè præstita, procurationis strenuæ hujus  
 etiam, censusqve thesaurario Arosiensi in manus col-  
 lati crebram mentionem injicit. HENRICI Archie-  
 pi/copi sedulitatem sequentem in modum commendat:  
 Denarium S. PETRI, somi Vptala stift på et åhr försams-  
 lab war til trehundrade sju marcker penningar/ les-  
 ter. de han til NICOLAUM Arosiensem episcopum,  
 apostolicæ sedis nuncium & collectorem, emot  
 qvittance, daterat Arboga MCCCXCVI. d. 16 Mar-  
 tii. h. e. Denarium S. PETRI unius anni, eundemqve sum-  
 mam conscientem trecentarum & septem marcarum signati  
 argenti, NICOLAO Arosiensi episcopo in manus numeravit,  
 æris sygrapha utrinque data & acceptâ Arboga anno MC-  
 CCXCVI die 16. Martii. De IOHANNE JERECHINI  
 ( Archiebiskop Jennis Jerecka Sohn then oivalda ) pa-  
 ria commemorat, quod quamvis opulentiam cathed-  
 ræ suæ temerè profunderet, in iis, quibus pontifi-  
 cem demereri posse videretur, cautum plus satis se-  
 met attentumq; ostenderit, centum & viginti novem  
 marcis Svecanæ monetæ, nuncio & collectori census  
 Petrini, Arosiensi PETRO, ad formam acceptilla-  
 tionis Stockholmiæ anno MCDXIII signatæ, adnu-  
 meratis. Han betalte sammta åhr af sitt Stift 129  
 marcker Swenskt mynt på S. Peders skatt/ den Bis-  
 shop Petrus i Westeråhs/ warandes Påfvens hunci-  
 us och collector öfwer Sverige/ emottrog efter qvit-  
 tence, daterat Stokholm 1413 die S. Tiburtii (o)  
 Istis

(o) (Peringskiöldii monum. Vpland. 11. pag. 151. 154.

Itis in medium allatis testimoniis negotium cum  
 OERNHIELMIO controversum confectum iri spero.  
 Neque dubito quin suppeterent plura, si superstite  
 eodem veteris memoriæ exsequentissimo *Varrone*, ce-  
 tera quoque cimelia ecclesiarum cathedralium, ex  
 illis cryptis suis rediviva cernere, fata sivilent.

## §. V.

Censum Romanum, ad conservandam auctorita-  
 tem constituti *in regno regni*, à civibus bonâ fide  
 præstitum & fisci apostolici advocato per singula  
 servorum & liberorum capita solutum fuisse vidi-  
 mus. Quantâ aris summâ quotannis consistenter be-  
 neficium & almæ sedis clientela ista, impræsentia-  
 rum dispiciendum venit. Quamdiu duraret toleran-  
 tia ethnicorum, suaque ad pedes Sancti *PETRI* dona-  
 ria reges, cives verò symbolam conferrent spontanea  
 collatione, (id quod seculo undecimo currente inte-  
 gro usu venit) aulae Romanæ commoda, aut si di-  
 cere maluerimus *tacitam direptionem illius*, retardatam  
 fuisse aliquantulum, non improbable videtur. Se-  
 quenti tempore verò, postquam credulâ regum at-  
 que populi simplicitate, hierarchica in regno po-  
 testas invaluit, pietatis præsumptione eadem, qua ce-  
 tera clientelaria regna, nostrates suam fidem vecti-  
 galem quoque exsolvisse videbimus. Cum *ADALVAR-*  
*DUS juni r* Sictoniæ primam missam celebraret, quæ  
 novellæ fidei nomina sua dederat, exiguam Christi-  
 anorum manum septuaginta argenti marcas, quæ  
 mone-



17

monetæ usuali nostræ trium millium, trecentorum  
& sexaginta thalerorum respondent, episcopo ad  
manum obtulisse testis est ADAMUS. (a) Tantum  
missatici operis pretium si pastori & pontifici *spe-*  
*cialiter* deputato, idque simul & semel præstiterit  
novella unius loci ecclesia, quantâ opulentia vi  
civitas universa posterorum, decurlu plurium se-  
culorum conlocupletaverit PONTIFICEM MAXIMUM,  
cujus sine auro sacra Majestas consistere nullo mo-  
do potest, etiam per transennam adspicere unicui-  
que pronum erit atque proclive. Si superessent ad-  
huc, quæ cum repurgatione religionis, hæc illac  
distrahebantur tabularia ævi pontificii, ad unguem  
non difficulter spero expediremus, quantum æris  
atque tributum ex hoc regno papa quotannis confe-  
cerit. Sed cum sint amissa semel nulla arte re-  
cuperanda, quæ de fidelium profusione pietatis i-  
sta, imprimis vero Upsaliensis ecclesiæ, particula-  
tim invenire potuimus, bona fide communicabi-  
mus; per seculorum, quo ipsa semet excipiunt,  
ordinem eundo. Cum in Svethia pariterque Nor-  
vegiâ imperio potiretur HAZVINUS rex (b) quam-

C

vis

(a) Verba Adami ab Oernhielmio citantur. Et juxta profes-  
suntur Histor. eccles. S. G. pag. 264.

(b) Magni Suetes R. filius erat. Cujus in regem  
Norvegiæ coronationis festo, an MCLLXII, patre curante  
ipso, gens nostra id debet, quod ab illo tempore Osterlandiæ  
seu Finlandiæ legiferi nomen in comitiis Svethicis audiri pri-  
mam, ejusque in eligendo rege auctoritas sese exercere co-



vis inter turbas atque clades, Uplaliensem diocē-  
 sin tamen CCC marcarum censum Pontifici appen-  
 disse auctor est *MESSENIUS* (c) Pariter cum *HENRI-  
 CUS* & *JERECHINUS* Svethiæ primales essent, ex eadem  
 diocēsi, & quidem sub priore CCCVII: sub poste-  
 riore non nisi CXXIX marcas signati argenti, uno  
 anno, nomine tributi & denarii Romani expensas  
 fuisse, ex *PERINGSKIÖLDIO* probatum modo fuit.  
 Quindecim millia auri florenorum, pro supportandis o-  
 neribus regni sui, de pecuniis apostolicis à papæ nuncio,  
 anno MCCCLVIII jam ante accepisse regem  
*MAGNUM* Smet; & quinquennio evoluto, vi-  
 ginti quinque millia marcarum, additis cen-  
 tum & nonaginta sex, *RODGERIO* episcopo, solu-  
 tionis loco rependisse, partim bulla pontificis ipsa  
 ad regem *Avennionē* perscripta (d) commemorat,  
 partim apud *PERINGSKIÖELDIUM* in monumentis le-  
 gere possumus (e). Vtrum vero solius denarii colle-  
 ctam, in quam sententiam *BAZIUS* & *MESSENIUS* con-  
 spirant, & an non potius gazam promiscue omnem  
 Pontificis, cujuscunque tituli & collectionis esset,  
 laboranti ab hostibus regno suo rex accommodave-  
 rit, in incerto posita res est. profecto ex literis  
 pontificis, cujus strictim modo summam dabimus,  
 (f), nedum aliunde sciri certò aut investigari po-  
 test.

*peris. conf.* Peringskiöld. Monum. Upland. 1. p. 27.

(c) Messen. Scand. illustr. Tom. XV. pag. 63. fin.

(d) Vastov. vitis aquil. ed. Colon: pag. 197.

(e) Peringskiöldz. Monum. Upland part. II. pag. 149.

(f) Excerpta literarum, que ad presens negotium perti-



test. Interim si speciosum calculum, quem adhibuit celeberr. Dnus NETTELBLAD, cum quantum civitati *pallum* archi episcopale in sua vilitate constaret, exprimere vellet, eundem in praesentia nos quoque sequi voluerimus, annuam accepti expensique denarii hujus summam, calculo à veritate non multum recedente, spero, inveniemus. Scilicet ratione habitâ fortis illius modo memoratae 300 librarum à diœcesi Upsalensi expensarum, quam inter plus & minus medium quasi interjectam dixerimus, si ab ecclesia Lincopensi 260 libras, à Scarenfi & Aboensi 400, à Stregnesiensi 150, Arosiensi totidem & denique Vexionensi 100. marcas anno quolibet expensas fuisse dixerimus, summa existet marcarum Svethicarum, supra mille trecentarum & sexaginta. Illud quidquid æris, si argenti puri fuerit, cuilibet marcæ (lödig marc) respondentibus octo thaleris imp. (g) summa exurgit decem millium,

C 2

octo-

*sinent, B L. hæc habet: Dilecti filii Hinricus Bissop & Joannes Pilaberti &c. munificentias & tuitiones regias, quibus ipsos & familiares suos ac eorum bona manu tenuerunt, retulerunt læta facie nobis nuper, quas in Domino commendamus, nec non quindecim millium florenorum auri summam, vel circiter, de qua partem aliquam persolvisti, quam pro tuis supportandis oneribus ab eodem Nuntio de pecuniis apostolicis dicens recepisse, & ratione retardatae solutionis, quod displicenter audivimus, Apostolicas sententias incurrisse, & cetera.*

(g) Peringskiöldii monum. Up!. II pag. 143.

octingent: & octoginta thaler. uncialiū, seu quod idem est, 65280 cupreorum hodiernæ monetæ thaleror. Tanto impendio, animorum simul atque corporum eculeum sibi majores nostri quotannis redemerunt! Quamvis enim spatio terrarū Româ distarent longius, zelo eodem, quo cetera regna tamen, pro commodis illius efferbuerunt. Refert *BARONIUS*, *CAROLO MAGNO* regnante, præter quantitatem, quam amore *S. PETRI* sponte offerret unusquisque, ordinariam summam totius exactionis hujus per *Galliam* fuisse mille & ducentas libras. *Angliæ* regem *JOHANNEM*, summâ non minore multò, Pontificis clientelam privatim redemisse, jam ante monuimus (*b*) *SVETHIAM* ambitu & impetu eodem in naufragium suæ libertatis incurrisse, pigneratumque annuo pretio serviendi jus suum redintegrasse religiosissimè, ex dictis spero, non obscure patet. Verum illud à veteri Christianismo, ut & Germanorum, ætate *OTTONUM*, multo diversissimo more, quibus sacra pro *denario* curare probrotum fuit, & excussa servi manu species illa monetæ, non servitutis investæ, nedum in maius provectæ illius, sed duro vitæ genere soluti & in libertatem asserti hominis *ymbolum* habebatur.

### §. VI.

**C**Uriam Romanam retia in capturam sua per *Svethiam* non in vanum explicuisse, & cives regni una cum regibus (*a*) suis comiter coluisse majestatem illius, vidimus. Ex illis autem infinitis

(*b*) *Part. I. pag. 20. med.*

the-



thesauris, quorum dispensationem unice sibi competere voluit Pontifex, quale quæso! *ἀνταλλάγμα*? quantum retributionis precium tantæ devotioni nostratum mutuo præstitit? Sunt, uti constat, thesauri, qui intemperantius profunduntur Romæ, ad pompâ præcipue v. fictionem & simulationem compositi omnes ferè. Sunt, qui peccatoribus in DEum & ecclesiam applicantur, alii qui communitati civili, ejusque provehendæ utilitatis necessitatisque specie conferri solent, Non loquor de priore genere, quorum *indulgentia* pertinent, pro redimenda peccatarum in purgatoriô morâ, imo iis quoque, qui occidendo, libidinose agendo & denique pejerando hominum societatem violaverint, erogari solitæ. Quod ad alterum genus, pro ut trahi eodem solet non *ecclesie clientela* modo, sed & *civilium rerum* auspiciû & suprema procuratio; ita quoque omnibus, qui plenitudinem potestatis eandem humillimè crederent & *λύτρον* protectionis præstarent hilariter, sive reges essent, sive subditi, in filios specialiter dilectos assumisise pontifices, & sub umbrâ virtutis summæ suæ tectos eosdem latere voluisse, legimus. instituto à *priscis REGIBUS* diverso planè, qui Romanæ sedis & bonorum ad eandem pertinentium *PROTECTORES ipsi* pridem, idque summo cum imperio fuissent. Nostra *civitas* ne patrociniû *PETRI* diu & morosè fastidiret, ab exteris, qui jam ante admiserant, clerici adventantes non difficulter obtinuerunt. In illum modum autem, & denique ad



ad horum instantiam, cum debitam *sancto* mercedem, protectionis suæ nomine, liberaliter & devotè solvissent cives, ut puta *nobiles viri, barones, milites & alii per diocesim Upsaliensem constituti*, non eorum modo devotionem mirificè commendavit INNOCENTIUS papa: verum si eandem in posterum exhiberent pietatis alacritatem, caritatis brachiis, sicut speciales filios se arctius eosdem amplexurum pollicetur. Privilegium protectoriale, ejusdem tenoris ferè, ERICUS *balbus* rex etiam promeruit, cum pontificis genium eodem liberalitatis genere propitiasset, & ad ulciscendam illatam subditis offensam brachium seculare illius versus Saracenos armis incingere papa tentaret. Cum verò monstret non obscure bulla illa, quantum, cum ignorantiae tenebris undequaque conlopita essent omnia potestatem sibi interea permiserint ævi illius pontifices, etiam secularia ad nutum suum dirigendi, integram eandem annectere juvabit: HONORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, dilecto filio ERICO illustri regi Svethiæ salutem & apostolicam benedictionem. *Tuæ sublimitatis devotio promeretur, ut ad Tuam & regni Tui tranquillitatem & pacem paternæ sollicitudinis studium intendamus. Hinc est quod personam Tuam cum regno & omnibus tuis honoribus ac iustitiis, sub beati PETRI & nostra protectione suscipimus & presentis scripti patrocinio communimus: districtius inhibentes, ne quis honores Tuos ac jura presumat invadere, aut quomodo libet temerè perturbare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & inhibitionis*

*inscrip.*



*infringere vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis DEI & beatorum PETRI & PAULI apostolorum, ejus se noverit incursum. dat. Reate secundo Idus Augusti, Pontificatus nostris anno decimo.* Hactenus Papa, Omnibus grati animi signis Regem accepisse bullam hancce, & ita conjunctum deinceps Pontifici adhæsisse, ut ex illius sententia magis, quam ex usu suo, civitatisq; omnia facere voluerit; nullus dubito (\*) sed quo ipso, vix dari potest aliud magis callidum inventum ad stabiliendam papæ mysticam monarchiam. Præferunt verba speciem protectionis à S. Petro ejusque vicario bonâ fide præstandæ. Pollicentur largè & liberaliter honorum atque jurium, quæ regis essent, ab omni invasione securam possessionem. Verum ubi clericos, qui hoc in primis tempore, præcipuam partem civium fecerunt, regis & regni obsequio exemptos, ad suam modo arbitrium papa pertinere voluit, iisdem in omnibus & ab omnibus obedientiam præstari jussit, addita potestate excommunicandi (\*\*), pro lubitu omnes, qui non obnoxie sententias illorum recipere vellent; quis, quæso! non videt inania

(\*) *CANUTO* Daniæ regi illud ab Adamo quoq; tributum elogium, cum ἀνατροπιστικῶς conditium & correptionem sibi ab episcopo, quamvis falso factam, patienter & pie admitteret.

(\*\*) *De excommunicationis fulmine in gregem strenue vibrato, cum pastoris vocem de pecunia appellantem, non illi eo agnosceres, paragraphe sequente dicturi erimus.*

nia & frivola tantum, imò re ipsā, nihil nisi merè facta continere bullam allatam: civitatemque nil nisi servitutem execrabilem, æris sui libertatisque impendio, sibi suisque posteris in alieno agro commercatam fuisse? Quidquid sit. Regi & regni Sæthiæ humilibus & devotis filiis, illud quidquid esset, imaginariæ benignitatis, pro re natâ contulisse satis erat. Si quæ ceteris regnis insuper, solo horum, curiæ vero Romanæ nullo impendio, indulta fuere beneficia singularia, in ceteris etiam capeßendæ purpuræ Romanæ, à quâ Sæthiæ proceres privilegio nescio quo, exclusi erant perpetuo, vel per indicem saltem recensere vellem, dissertationis modulū superaret opera nostra. à quo labore ad ea, quæ supersunt dicenda, gradum non inviti revocamus. Non ante tamen, quam de hoc genere *census* verbo monuerimus, quod quemadmodū non in modum gratuitæ oblationis, ut ante dictum (\*), sed in argumentū præstitæ & præstandæ specialis protectionis, illum sibi vindicat ecclesia Romana, ita cum illo tributo ullo modo neque misceri aut confundi debeat, quod ob nexum *feudalem* quotannis, in memoriam factæ olim oblationis in teudum, ecclesiæ Romanæ solvi solet ab aliis atque aliis *vasallis principibus*. Qualis est recognitio 6000 ducatorum annua, quam clientelæ nomine, utriusque Siciliæ, qui hodie REX est, recepto majoribus more magis, quam suadente usu suo quocunqve, etiamdum pie & gratanter exsolvit.

(\*) *Parte I. dissert. hujus §. 7.*



## SYNOPSIS.

- §. I. Lentis progressionibus Christianismi ab initio occasi-  
onem dedisse ait avaritiam CLERI.
- §. II. Papa non per vim statim extorsit censum sibi debi-  
tum, sed pedetentim sua ad capturam retia laxavit.
- §. III. Utrum ex arario publico reges: an vero familiae  
civium quo ad singula capita, pensionem annuam hancce  
solverint, disquirat.
- §. IV. Quo in Syethia census hujus, ceterorumque S. se-  
dis reddituum quaestores, collectoresque Roma habuit?
- §. V. Quanta eris summa quotannis consistit clientela  
Romana, inquirat.
- §. VI. Quale retributionis precium tantae devotioni nostra-  
tium PONTIFEX mutuo praestitit?
- 

## CORRIGENDA.

PAGINA 5. versu 8. lege *Monarcham AUGUSTUM.*

PAG. 12. lin. 6. lege *Sedis apostolicæ.*

PAG. ead. lin. 12. bis positum *suis*, alterutrum **dele.**

PAG. eadem in notis lin. 6. lege *apostolicæ.*

PAG. 14. lin. 5 lege *circumspecta.*

PAG. 21. lin 14 lege *erogari.*

PAG. 22. lin. 15, lege *quantam.*